



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Petri Domus vel Petershusium, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

set omni pristinae dignitati, nisi morte præventa & impedita fuisset. Decubuit graviter per integrum mensem, incomparabili & omnibus spectatoribus admirabili patientia gravissimos morbi dolores perferens: tandem æterno Deo ipsiusq; Filio sese commendans 15. Novembrium anni à nato Christo 1547. suaviter in Domino obdormivit. Ejus, charissimæ amitæ meæ, tumulura tali ego epitaphio honoravi:

*Hic Euphemia, Pirckenomar e gloria gentis,
O dilecta tibi, mi Bilibalde, soror,
Abbatissa domus Bergensis non modo fida,
Verum illustratrix ingeniosa cubo,
Corpore sed tantum: nam mens concrediva Christo
Ipsius in gremio vivit & Astra tenet.*

24. *D. Catharina Haberreimin*, è Berchingo oppido Aisteten-
sis Episcopatus nata (quæ hunc totum catalogum conscripsit &
mihi benigniter communicavit) successit Dominae Euphemie,
fexta Decembrium anni 1547. electa, 20. vero ejusdem mensis
confirmata. Sequentis autem anni quarta Aprilium à Reve-
rendissimi Episcopi Aisteten-
sis suffraganeo, Leonhardo Hallero,
Episcopo Philadelphico, consecrata, quæ hoc adhuc currente
Jubilæo feliciter præsidet.

PETRI DOMUS vel Petershusum, cœnobium Benedictini
instituti monachorum amplissimum, è regione Constantien-
sis urbis in Suevis cis Rhenanum pontem, in dextra videlicet
Rheni è Lacu Acronio prodeuntis situm, fundatum & dotatum
est munificentissime anno Christi 980. pro monachis è cella Men-
radi accitis, à S. Gebhardo, Episcopo Constantiensi, Comite Bri-
gantino & Zæringensi, qui templum hujus cœnobii incepit con-
struere año 983. positis ad quatuor templi angulos in fundamen-
ta quatuor aureis Rhenensibus. Absolutum est templum illud &
ab ipso fundatore Episcopo Beato Gregorio Papæ dedicatum &
consecratum anno Dñi 992. quinta Kalend. Novembr. In quo
idem ille D. Gebhardus fundator tandem, cum viam universæ
carnis ambulasset, anno Dñi 996. humatus ac terræ parenti cum
tali epitaphio redditus est:

Debita

*Debita pars terræ, fallentia tempora sperne,
Et memorare viæ, quam testatur cinis iste.
Gentis bonos nostræ jacet hic, gentis dolor atq;
Præfuit hic urbi, cuncto sed profuit orbi.
Hancq; Deo sedem templi fundavit & ædem.
Parti terræ Deus ignoscens miserere.
Redde vicem juste, quia te dilexerat iste.*

Fuit hoc monasterium olim adeo opulentum, ut octoginta aleret monachos unâ cum Abbate. Catalogus ejus loci procerum ac gubernatorum talis reperitur.

Catalogus Abbatum.

1. *Beringerus* constituitur ab ipso Gebhardo Episcopo anno Domini 992. sed quamdiu præfuerit, non invenio.
2. *Pezelinus* successit Beringero: de quo etiam nihil in fastos relatam est.
3. *Elenboldus*, tertius Abbas Petridomensis, donatus est anno Domini 1007. temporibus Henrici Claudi Imperatoris, pago Eppendorffensi ab illustrissima Domina Hedowige, Burcardi Suevorum Ducis conjuge.

- | | |
|-------------------------|-------------------------|
| 4. <i>Waltharius.</i> | 9. <i>Siggo.</i> |
| 5. <i>Sigefridus.</i> | 10. <i>Arnoldus.</i> |
| 6. <i>Erchenboldus.</i> | 11. <i>Meginradus.</i> |
| 7. <i>Volmarus.</i> | 12. <i>Luitboldus.</i> |
| 8. <i>Albertus.</i> | 13. <i>Theodoricus.</i> |

Sub hujus Abbatis gubernatione vastatum & spoliatum est cœnobium anno Domini 1087. ab Henrico, Comite sacri Montis, bellum gerente contra Constantiam & in ejus urbis Episcopatum, Arnoldum, S. Montis Comitem, monachum Sangallensem cognatum suum intrudente contra Gerhardum Zeringentem legitime electum, qui ex Episcopatu tandem ejectus, cum tredecim annis exulasset, tamen hujus Theodorici Abbatis ope anno Domini 1105. Episcopatum magnanimiter recuperavit.

Gebhardus Const. Episcopus.

14. *Bertholdus.*
15. *Conradus.*
16. *Gebehardus.* Sub hoc Abbate conflagravit totum cœnobium año Domini 1159. quod tamen ab eodem præclare iterum instauratum.

instauratum & pristinae dignitati restitutum est subsidiis coenobiorum Hirsaugiensis & Zuifaltensis.

- | | |
|------------------------|--------------------------|
| 17. <i>Henricus.</i> | 20. <i>Udalricus.</i> |
| 18. <i>Eberhardus.</i> | 21. <i>Henricus II.</i> |
| 19. <i>Conradus.</i> | 22. <i>Henricus III.</i> |

23. *Diethelmus*, Baro de Castel, diu praefuit & coenobium Petridomense praeclearis structuris illustravit. Anno vero 1306, constituitur Augiae divitis Abbas, cujus loci monachorum strenuus fuit reformator & in ordinem coactor, etsi cum suo malo. Vide catalogum Augiensem, ubi plura de illo leges.

- | | |
|-----------------------|-------------------------|
| 24. <i>Udalricus.</i> | 28. <i>Joannes II.</i> |
| 25. <i>Conradus.</i> | 29. <i>Henricus IV.</i> |
| 26. <i>Burcardus.</i> | 30. <i>Burcardus.</i> |
| 27. <i>Joannes.</i> | 31. <i>Henricus V.</i> |

32. *Joannes Frey* praefuit tempore magni Concilii Constantiensis, ubi a novo Pontifice Martino V. anno Domini 1415. Pontificalibus ornamentis donatus est, primus itaque hujus coenobii Abbas infulatus.

33. *Joannes Milseldus* successit Joanni Frey, secundus hujus coenobii Abbas infulatus.

34. *Diethelmus Albinus.*

35. *Joannes Hyrus*, Constantiensis Patricius, lepra tandem infectus. Ex hac honestissima familia, hac adhuc tempestate, est egregius vir eximiaque & doctrina & virtute insignis civis, *D. Hieronymus Hyrus*, mihi singularis fautor & amicus, quem honoris & amicitiae ac propagandi ad posteros ipsius nominis ergo hoc loco nomino.

36. *Nicolaus Roschachius*, Constantiensis, obiit anno Domini 1488.

37. *Martinus Brulinus* electus est anno Domini 1488. Praefuit 30. annis, non admodum studiosus rerum sui monasterii curator. Obit anno Domini 1518.

38. *Joannes Meerk*, Lindaviensis, constituitur administrator & coadjutor Martini anno 1511. Praefuit sub coadjutoris titulo annis septem: Abbas vero factus post mortem Martini annis sex.

Fuit

Fuit studiosissimus monasterii sui restitutor & amplificator, ita ut merito secundus ejus fundator dici & commendari possit: optimus oeconomus & paterfamilias vigilantissimus. Obiit feliciter in ipso suo cœnobio anno Christianæ redemptionis 1524. Ædificavit loca conventualium & ambitum Ecclesiæ, & domum præclaram intra mœnia Civitatis Uberlingensis sitam.

39. *Andreas Berlimus*, Constantiensis, præfuit duobus annis. Obiit in gubernatione anno 1526.

40. *Gebhardus Dornspergerus*, Stockachianus, eligitur anno 1526. Expulsus est à Constantiensibus omnia in Ecclesia immutantis anno 1528. Secessit Uberlingam in suas ædes, in quibus vixit per novennium: inde iterum secessit Suldorfum in parochiam suam, in qua mansit usq; ad annum 1548. quo vidit magno animi dolore concremari ab Hispanis Constantiam, oppugnanti-
 bus totum suum monasterium. Dum enim sexta die Augusti cle-
 rus Constantiensis defuncti Præfulis sui Joannis Weza exequias
 in Augia majore ad sepulchrum celebrat, Hispanus miles, qui
 aliquandiu in Ducatu Wirtenbergenfi quieverat, ex improvise
 oppugnatam Constantiam deserens suburbia una cum cœnobio
 capta cæde & incendio vastat, duce Alfonso de Vivis, qui in pon-
 te Constantiensi sclopetæ ictu occubuit. Quam rem unâ cum
 anno tali disticho expressit præclare doctus vir, *Andreas Mazius*,
 defuncti Episcopi secretarius.

Oppugna-
 tio Con-
 stantiensis
 urbis.

*PresVLLs eXeqVIIs tVMVLo Constantia tedas
 En dabat, aCCendit sangVine tInCtVs Iber.*

Occubuerunt in hoc ipso consuetu multi egregii cives Con-
 stantienses: inter cæteros vero veteri amicitia mihi conjunctus
Joannes Jacobus Menlishofferus, medicinarum Doctor, Græce *Job. Jac.*
 & Latine præclare doctus, musicus vero in omnibus hujus amœ-
 nissimæ artis partibus insignis, statura corporis vere heroica præ-
 ditus: & *Dominicus Hochreittenerus*, honestissimus vir & Pa-
 ticio sanguine natus,

*Job. Jac.
 Menlis-
 offerus.*

Quorum nunc animas summus Olympus habet.

Ex

Predicatorum monasterium Constantiense.

Ex hujus Petridomensis cœnobii adverso ferè est intra moenia Constantiensis civitatis ad Lacum Acronium, aut in ipso potius lacu situm ordinis Prædicatorum amplissimum cœnobium, quod anno 1137. à S. P. Q. urbis in Xenodochium conversum est: id etsi ex mendicitate initio cœperit anno Domini 1235. tamen postea liberaliter donatum est à Joanne de Ravensburg, Equite aurato, annum Christi circiter 1250. Is illic, disfidio & divortio prius inter se & conjugem suam religionis ergò factò, monasticen professus, tandem ibidem mortuus & humatus est. Conjux ejus, Domina Guta de Angelburg, consensu mariti arcem suam avitam Antegum ad hoc ipsum concedentis, cœnobium prope Buchornam construens, id ipsum ingressa, ejusdemq; prima gubernatrix & Priorissa designata legitur. In hujus Dominicastrorum cœnobii Constantiensis amplissimo templo sepultus est doctissimus vir, *Manuel Chrysoloras*, qui magnæ synodo Constantiensi interfuit & illic ex mortali vita evocatus est. Huic ab *Anea Sylvio*, Poëta Laureato & Oratore Imperatorio, tandem ad Pontificatum evecto, tale monumentum illic positum est, cujus solius rei gratia mendicantium hoc cœnobium isti operi inferere volui.

Chrysoloræ sepulchrum.

Ante aram hanc situs Dominus Manuel Chrysoloras, Miles Constantinopolitanus, ex vetusto genere Romanorum, qui cum Constantino Imperatore migrarunt, vir doctiss. prudentiss. opt. qui tempore generalis Concilii Constantiensis diem obiit: ea existimatione, ut ab omnibus summo inter mortales sacerdotio dignus haberetur. Die xv. Aprilis conditus est anno Christi 1415.

*Ille ego, qui Latium priscas imitavies artes
Explois docui sermonum ambagibus, & qui
Eloquium magni Demosthenis & Ciceronis
In lucem retuli, Chrysoloras nomine notus,
Hic sum post vitam & peregrina in sede quiesco.
Huc me Concilii deduxit cura, trium dum
Pontificum Ecclesiam vexaret sæva tyrannis.
Roma meos genuit majores, me bona tellus
Byzantina tulit: cinerem Constantia servat.*

Quo mori loco, nil refert: undiq; cœlum,
Pœnarumq; domus mensurâ distat eadem.

PILDENREITUM, Germ. *Pillenreuth*/ Canonissarum regularium S. Augustini cœnobiolum perelegans, in nemore Noribergensi ad amplissimos lacus non procul ab ejusdem potentissimæ Urbis latomii situm, dioceseos Aistetensis, sub tutela S. P. Q. Noribergensis, cœpit annum Christi circiter 1340. à quinq; piis sororibus ac Imperatorii gynæcii virginibus, Elisabetha Vispeckhina, Adelheide Zolnerina, Christina Venatrice, Khunigunde ab Oddensees, ac Osanna Osterreicherina, ex Deckendorff Bavarico oppido nata, quæ collectis aliis etiam octo sororculis, Imperatorem Ludovicum Bavarum, Noribergæ tunc temporis Comitiam habentem, precibus persuaserant, ut sibi in hoc nemore cœnobiolum construere, in quo Dei laudes, in bellis ab hoc Imperatore gestis omissæ, adimplerentur, & ita quod prius in cultu Dei neglectum fuisset, ibi resarciretur. Imperator monitis puellarum ardore quodam divini cultus flagrantium obtemperans, in die S. Lucæ Evangelistæ anni Christianorum 1341. à Noriberga in vicinum nemus prodiit, ut cœnobilii futuri locum exploraret, quod cum in vicino pago Churnburgensi (hodie Kornburgensem vocant) auspicari vellet, cantu quodam miræ dulcedinis inde ad nemus revocatus dicitur, ubi cum magnæ & altæ cuidam quercui Crucis quasi cœlitus ostensa imaginem imminere vidisset, equo mox lapsus primus securi arborem eam notavit, & se præsentem excindi illam curavit, eumque locum ad construendum monasterium destinavit: unde nomen etiam inditum est, ut ab imagine Crucis, quæ apparuerit in illa nemoris parte, quæ ad construendam domum pietatis ac disciplinæ excindenda erat, *Pildenreutum* diceretur. Prodiert una cum Imperatore præpotens quidam Patricius Noribergensis, Conradus Magnus, tunc etiam Scultetus, ut vocant, Noricus: is prædium, quod in ea ipsa vicinia habebat, optimum, præsentem Cæsare, futuræ monialium congregationi cum omnibus adjacentibus agris dono dedit omnibus temporibus.

Ludovicus Bavarus Noribergæ Comitiam habuit.

Kornburg. Crucis imago cœlitus ostensa Ludovico Imperatori.

Magni, die Großen Noribergenses Patricii.

Zz

Handwritten notes in red ink on the book's spine, including the word 'Chronologia' and other illegible characters.